

ex aliis immediate subjectis; pergit enim: *et ceterorum omnium quæ in ordinationum paradigmata continentur... oportet etiam caput ejus, sacre mensæ incumbere, et flectentem genu, etc.* hæc autem non sunt de essentia. Tertio ad illam formam alludere videtur S. CHRYSOST. orat. 4. de Sacerdotio (opp. t. 1. p. 404. A.), perstringens ordinationum pravos usus; *multæ, inquit, harum ordinationum a divina gratia non fiunt.* Denique quarto, quia verba illa: *Divina gratia, etc.* significant collationem gratiæ et characteris, et conjunguntur impositioni manus super caput ordinandi, adeoque materiæ proximæ; orationes autem quæ postea dicuntur, de presbytero ut jam ordinato loquuntur, et talem clare supponunt.

128. *Inst.* 5. Si forma non consistat in oratione, vel precibus, ad quid illæ tam religiose adhibentur? non enim ipsæ gratiam conferunt sacramenti.

R. Adhiberi ad impetranda ordinandis copiosiora, specialia, et efficacia auxilia gratiæ, ad quæ ordinatio sacramentalis jus non confert, sed solum ad idonea, uti reliqua sacramenta. Licet igitur preces illæ non habeant vim et significationem sacramentalem, recte tamen et laudabiliter eas Ecclesia ordinavit.

ARTICULUS IX.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

129. *Nota.* Ministerium ordinandi ad populum pertinere contendunt Lutherani et Calvinistæ; quamvis potestatem imponendi manus concedant solis pastoribus; non quasi populus hanc auctoritatem et potestatem non haberet, sed ut evitetur confusio. Ita Calvin. L. 4. Instit. cap. 3. Quod ipsum prius volebat Wicleffus inter alia dicens: *Confirmationem juvenum, clericorum ordinationem, locorum consecrationem reservari Papæ et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis; quem errorem damnavit Concil. Constantiense Sess. 8.*

Catholici omnes tametsi contra hæreticos conveniant, ministrum ordinarii ordinis esse Episcopum, est tamen inter eos quædam dissensio quoad ministrum extraordinarium, an et quales ordines possit conferre simplex sacerdos ex delegatione summi Pontificis? *Prima* sententia, quæ etiam tribuitur S. THOMÆ in 4. dist. 25. q. 1. BONAVENT. q. 1. a. 1., RICHARDO et aliis, negat sacerdotem simplicem posse esse ministrum extraordinarium alicujus ordinis majoris. *Secunda* sententia, quæ est AUREOLI, ANGELI, et aliorum, prorsus oppositum affirmat. *Tertia* id tantum de subdiaconatu concedit. Ita BELLARM. L. de Cleric. cap. 27., SUAR. in 3. part. Tom. 3. Disp. 11. Sect. 3., CONINCK Disp. 20. de Sac. Ord. *Quarta* denique etiam ad diaconatum, excepto presbyteratu, talem facultatem extendit.

Porro hic indagandum venit, utrum Episcopus hæreticus, excommunicatus, degradatus possit *valide* conferre ordines. Negarunt Gratianus Caus. 9. q. 1., aliique, quos Gloss. ibi refert in can. Nos. Item MAGISTER sentent. in 4. dist. 25. lit. C. Hoc autem sentiunt de iis solum Episcopis, qui nunquam fuerunt Catholici; de aliis enim, qui aliquando fuerunt

in Ecclesia, deinde ab hac præcisi, inquit Gratian., *Ordinationes eorum ab Ecclesia misericorditer tolerantur.*

130. *Dico I.* Minister ordinarius sacramenti Ordinis est solus consecratus Episcopus. Est de fide.

Prob. I. Ex SCRIPTURA SACRA, in qua solis Episcopis, scilicet Apostolis et eorum successoribus *Ordinis* collatio adscribitur. Act. 6. ordinatio septem Diaconorum. Act. 14. de Paulo et Barnaba dicitur: *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros.* 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii.* Et cap. 5. præcipit illi Paulus manus cito nemini imponere. Ad Tit. 1. scribit, *hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi.*

Prob. II. Ex constanti TRADITIONE, quæ constat ex facto ipsiusmet Novatiani hæretici, qui Romanum Episcopatum ambiens, tres Episcopos, homines rudes in fraudem adduxerat, et cum eos temulentos cerneret, compulsi, ut, licet vana impositione manuum, sibi Episcopatum conferrent. Rem narrat CORNELIUS Papa in epist. ad Fabium Antiochenum apud Euseb. L. 6. Hist. c. 43. Adeo in seculo III. quo hoc contigit, veritas illi persuasa fuit. In seculo IV. eandem tradit Concil. Carthag. I. can. 5. (Labb. t. 2. p. 715. D.) habitum anno 348. et Alexandrinum, ex Ægypto, Libya, Thebaide, Pentapoli congregatum sub Osio anno 319.; ut enim refert ATHANAS. apol. 2. contra Arian. declaravit Ischyram, accusatorem Athanasii non esse verum sacerdotem; eo quod a Collutho simplici sacerdote ordinatus esset. (v. Labb. t. 2. p. 547.) Epiphanius vero Aerium rejecit et cum hæreticis damnavit, quod presbyteros in jure ordinandi pares Episcopis judicaret; et ait Hær. 75. per Episcopos gigni patres ordinationis virtute, per presbyteros vero filios duntaxat Ecclesiæ virtute baptismi. In sec. VI. Arelatense 5. can. 7. Item Braccarense an. 563. can. 8. In sec. VII. Conc. Hispalense II. anno 619. cap. 5. irritam affirmat ordinationem illam, in qua presbyter verba formæ pronunciaverat, et Episcopus, qui præ oculorum dolore legere non poterat, solum manus imposuerat.

Prob. III. Ex Conciliis generalibus FLORENTINO et TRIDENTINO, quorum primum de ordine ait in Decreto Unionis: *Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus.* Alterum Sess. 23. can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem... anathema sit.*

Ratio a priori est voluntas Christi, quam nobis declarat perpetua praxis Ecclesiæ; ac proinde potestas ordinandi propria est Episcopis jure divino, non solo jure ecclesiastico. *Ratio convenientiæ* est; quia Episcopi sunt a Christo instituti principes Ecclesiæ; ergo conveniens fuit munus ordinandi ministros Ecclesiæ pertinere, saltem de jure ordinario, ad solos Episcopos; sicut solus princeps secularis ordinarie ministeria publica distribuit.

131. *Obj. I.* Aaron fuit ordinatus sacerdos a Moyse, licet Moyses non esset sacerdos; nam in Lege veteri sacerdotium solum ad Aaronem ejusque filios

pertinebat; ergo etiam potest quis ordinari sacerdos in Lege nova a non sacerdote; ergo Episcopus non est minister ordinarius ordinis.

R. 1^o. Moysen vere sacerdotem fuisse docet S. LEO Papa epist. 88. (nunc in app. rejecta) juxta illud Ps. 98. *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus*. Postquam vero ordinatus fuerat Aaron, ad hunc ejusque filios tantum pertinebat sacerdotium ex ordinatione divina.

R. 2^o. *Transmisso hoc, N. Cons.* Res tota pendebat ab arbitrio voluntatis divinæ: poterat Deus per non sacerdotem sacerdotium conferre Aaroni; sed aliter ordinavit pro nova Lege Christus, ut probant rationes conclusionis. Deinde sicut Lex vetus et nova, sacrificium Legis veteris et novæ, sic differt utriusque sacerdotium.

132. *Obj. II.* In primitiva Ecclesia populus habuit jus suffragii in ministrorum electione; sic Act. 6. priusquam eligerentur septem diaconi, *placuit sermo coram omni multitudine*. Idem innuit S. CYPR. epist. 33. et 69. ergo non ad solos Episcopos spectat collatio ordinum.

R. 1^o. *D. Ant.* Habuit jus suffragii ex jure divino *N.* Vid. quæ diximus n. 32. et seqq. Ex mero indulto apostolico, vel ecclesiastico *C.*

R. 2^o. *N. etiam Cons.* Toto enim cælo diversa sunt *eligere*, vel *ferre suffragium*, et *ordinare*. Primum indulserant Apostoli multitudini: *considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem*, Act. 5. v. 3. nimirum ut tanto melius sedarent murmur, si populo relinquerent electionem. Sed electos ordinarunt Apostoli, v. 3. *ibid.* Sic et postea Ecclesia sæpe dedit populis jus ferendi suffragii in electione ministrorum; ipsa tamen ordinatio semper pertinebat ad Episcopos. Nimirum in ordinatione ministrorum tria contingunt: electio, ordinatio sive consecratio, missio vel vocatio. Electio nihil est aliud, quam designatio personæ idoneæ ad ecclesiasticam dignitatem, vel functionem. Ordinatio est ceremonia sacra, qua ministri pro tali dignitate consecrantur, vel illis potestas sacra confertur, postquam constat de eorum idoneitate ex electione. Missio vel vocatio jurisdictionem tribuit, et pastorem ecclesiasticum constituit. Concedimus igitur jus ferendi suffragii in electione concedi potuisse populo, et concessum fuisse; non autem jus ordinandi.

133. *Obj. III.* Concilium Nicænum I. in epist. Synodica apud Theodoret. L. 1. c. 8. et apud Socratem L. 1. c. 49. postquam iis, qui a Meletio schismatico consecrati fuerant, presbyteris facultatem ademit, in schismatis pœnam, quemquam in clero deinceps promovendi, vel designandi; de aliis, qui Meletio non adhæserant, inquit: *Hi autem, qui Dei gratia... ad nullum schisma defecisse comperti sunt, et se intra Catholicam Ecclesiam impollutos continuerunt, jus habeant et ordinandi, et eos, qui digni clero fuerint, nominandi*. Ergo presbyteri tunc temporis gaudebant potestate ordinandi.

R. *D. Ant.* *Jus habeant ordinandi* ordinatione proprie tali, sive consecratione *N. ordinandi* improprie, id est, suo suffragio cum cæteris, eligendi, designandi, et approbandi *C.* Ratio est 1^o; quia Concilium, ut ex ejus epistolæ verbis deducitur, concedit presbyteris non schismaticis illud jus, quod in pœnam negabat aliis, qui adhæserant Meletiano schismati, sed his tantum negat jus suffragii in electione, designandi, approbandi; ergo.

2^o. Quia ordinationem præmittit nominationi: certum autem est, quod primo debuerint nominari tanquam digni clero, antequam ut clerici vere ordinarerentur. 3^o. Quia in græco legitur *προχειρίζεσθαι*, quod proprie significat promovere, præordinare, eligere; hinc etiam *προχειρίζεσθαι* et *δνόματα ὑποβάλλειν*, id est, promovere, et nomina eorum suggerere, qui ordinatione digni judicantur, tanquam synonyma conjunguntur. Et Act. 22. v. 14. eandem vocem græcam Vulgata vertit: *præordinavit*, scilicet Deus Paulum, eum eligendo in Apostolum; quæ tamen præordinatio non erat vera ordinatio; nam, non obstante illa præordinatione Paulus cum Barnaba ordinatus, sive consecratus fuit Episcopus, Act. 14.

134. *Obj. IV.* Presbyteri in ordinationibus simul cum Episcopo manus imponunt, ex antiqua praxi Ecclesiæ. Et 1. ad Tim. 4. ait Paulus: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii*; ergo.

Ad 1^{um}. R. *D. Ant.* Impositione mere ceremoniali *C.* sacramentali *N.* Illa enim impositio solum significat consensum Ecclesiæ in ordinationem electi; nullum autem effectum producit; nam sic imponendo manus nec verbum proferunt.

Ad 2^{um}. R. *D.* Per *presbyterii* intelligendo presbyteros simplices *N.* Episcopus *C.* Ita enim explicat Theodoret., OEcumen., Theophylact., præsertim S. Chrysostomus dicens (opp. t. 11. p. 618. B.): *non de presbyteris hic loquitur, sed de Episcopis; neque enim profecto presbyteri ipsum ordinarunt*. Et certe tunc agebat Paulus de consecratione Episcopi, in qua ex constanti disciplina Ecclesiæ solent plures Episcopi manus imponere; nunquam vero presbyteri simplices.

Porro *presbyteri* nomen tunc commune erat Episcopis; imo aliquando usurpatum ab Apostolis. *Presbyterii* autem vocabulum Ecclesiæ senatum denotabat, qui vel ex Episcopis solis constabat, ut plures autumant, vel ex Episcopis simul et presbyteris, ut alii sentiunt. Quidquid vero sit, ex eo nihil colligi potest; aut enim presbyteri manus non imponebant, sed soli Episcopi; aut si imponerent cum Episcopis, ut adhuc hodie in ordinatione presbyterorum, illa impositio sacramentalis non fuit.

135. *Obj. V.* 1^o. Presbyteri simplices habent potestatem consecrandi Eucharistiam; ergo etiam sacerdotes, vel diaconos ordinandi jure ordinario: qui enim potest majus, potest etiam minus; majus autem quid est conficere corpus Christi, quam ministrum. 2^o. Episcopus potest ordinare Episcopum; ergo etiam sacerdos sacerdotem.

Ad 1^{um}. R. *N. Cons.* *Ad ejus prob.* R. *D.* Si minus sit ejusdem generis, subordinatum majori, non dependens ab alterius voluntate; *esto*. secus *N.* Unde fallit hoc axioma etiam in physicis, ut: homo potest generare hominem; ergo etiam formicam. Et proinde multo magis in moralibus, quæ pendent ab alterius voluntate, uti hic potestas ministrorum a voluntate Christi. Voluit ille a presbyteris suum corpus consecrari, non alios sacerdotes; sed potestatem hos consecrandi esse voluit penes Episcopos Ecclesiæ principes.

Ad 2^{um}. R. *N. Cons.* Ratio est eadem, voluntas Christi, quæ nobis constat

ex traditione perpetua, praxi et mente Ecclesiae. Accedit, quod potestas ordinandi non sit potestas jurisdictionis, sed ordinis, quam in consecratione sua soli accipiunt Episcopi, non sacerdotes alii; ergo hi non possunt ordinare alios jure ordinario.

136. *Dico II.* Sacerdos simplex non est minister extraordinarius presbyteratus, hoc est, non potest hunc ordinem conferre alteri etiam ex commissione Ecclesiae, vel summi Pontificis. Est communissima auctorum tum veterum, tum recentiorum cum S. Thoma in 4. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 3. contra Panormitan. cap. *Quanto*, de cons., Capreolum, Angelum in Sum. verbo, *Ordo*; et Gloss. in can. *Manus*, de consecrat., Meratium.

Ratio est 1^o. Quia ex una parte nec Scriptura, nec Traditio alium ministrum hujus ordinis assignat usquam, praeter Episcopum: ex altera parte ne unicum exemplum extat, quo facultas conferendi hunc ordinem fuisset delegata presbytero simplici; quod est maximum argumentum, Ecclesiae non esse concessam a Christo potestatem, delegandi presbyteris facultatem alios presbyteros ordinandi; si enim Christus hanc potestatem dedisset Ecclesiae, haec certe illa aliquando usa fuisset, cum plures se offerrent occasionem, idque poscere videretur necessitas, et animarum salus, maxime persecutionum temporibus, quibus Episcopi latebant in cryptis, aut rapiabantur ad necem. Item usa fuisset presbyterorum opera in remotis regionibus, ubi nulli adhuc erant Episcopi, et in quas mitti non poterant sine magno discrimine, et labore: atqui tamen nunquam id factum legimus, sed constans est in supprimendo hoc presbyterorum jure consensus Episcoporum; altum in ipsis presbyteris, quotquot de ordinibus scripserunt, ea de re silentium. An forte nemini id in mentem venit?

Ratio est 2^o. Omnium fere theologorum consensus, exceptis paucis: atqui in rebus, quae pendent a sola voluntate divina, ut in specie sacramenta, maximi momenti esse debet communis Doctorum consensus; praesertim quando veritas Catholica non est expressa in Scriptura sacra; sed ex sola Traditione erui debet, uti praesens controversia.

Ratio est 3^o. Quod plerique SS. Patres asserant una ordinandi facultate Episcopos presbyteris esse superiores, ut S. EPIPHANIUS Haer. 73. contra Aerium, qui nullum admittebat inter Episcopos et presbyteros discrimen, ait (opp. t. 1. n. 908. A.): *Hic (ordo Episcoporum) vim gignendorum patrum habet; at ille (Presbyterorum) cum patres gignendi potestatem non habet, per regenerationis lavacrum, filios gignit Ecclesiae. Et vero qui tandem presbyteros constituat, qui ad ordinandum manuum impositionem non habet?* S. Hieron. epist. 85. (al. 146.) ad Evagrium: *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?* S. CHRYS. homil. 11. in 1. ad Tim. (opp. t. 11. p. 604. D.) de Episcopis ait: *sola manuum impositione presbyteris superiores sunt.* Sed haec falsa essent, si ex delegatione possent presbyteri ordinare presbyteros; nam ita se haberent ad ordinationem, sicut ad confirmationem, quam posse eos conferre ex commissione summi Pontificis communis est sententia; ergo si sola ordinatione presbyteros excedunt Episcopi juxta Patres, sequitur, quod ex delegatione non possint ordinare presbyteros; vel non sola ordinatione superiores erunt Episcopi, sed etiam confirmatione.

Ratio est 4^o. Quod sententia contraria discrimen inter Episcopos et presbyteros nimium labefactet, et incaute suppeditet arma Calvinistis, qui toti pugnant adversus Episcoporum excellentiam. Vide Petavium in dissertat. de Ecclesiastica Disciplina. Deinde, quod non parum obsit causae Catholicae de successione pastorum; eo enim maxime impugnamus haereticos, quod pastorum seriem ostendere non possint; at facilius se tuebuntur, si presbyteri alios sibi substituere possint. Denique, quod tollat Episcoporum necessitatem.

137. *Obj. I. Ex Histor. Eccl. 1^o.* Juxta CASSIAN. Collat. 4. cap. 1. Paphnutius presbyter Danielem discipulum suum ordinavit primo in diaconum, deinde etiam in sacerdotem. 2^o. Sub Valeriano et Gallieno cum Scythae plures clericos captivos abducerent, inter hos Ulphilas, cum morum sanctitate et praedicatione multos barbaros converteret, ab Eusebio nondum Episcopo fuit consecratus, ut refert Philostorgius in Eclogis L. 2. cap. 5. 3^o. Chorepiscopi quondam leguntur ordinasse presbyteros.

Ad 1^{um}. R. D. Ordinavit, hoc est, eum obtulit praesulibus, ut ei manus imponerent, sicque ordinari curavit C. ordinavit vere N.

Ad 2^{um}. R. 1^o. Probas nimium; nempe presbyteros posse ordinare Episcopos; nam sic quoque Ulphilam fuisse ordinatum ab Eusebio nondum consecrato ait cit. auctor; sed

R. 2^o. Philostorgio nulla fides habenda est; Arianus erat, qui ut ostenderet Gothorum Ecclesiam fuisse ab Arianis institutam, refert Ulphilam, qui muneribus illectus ad Arianam haeresin Gothos perduxit, fuisse primum Episcopum, quod tamen falsum esse habetur ex Socrate L. 2. Hist. cap. 4. qui narrat Theophilum Gothorum episcopum Nicæno adfuisse Concilio, illique subscripsisse. Deinde Philostorgius ait legationem Ulphilæ, cujus occasione factus est Episcopus, evenisse Constantini temporibus; sed Sozomen. L. 6. cap. 37., Theodoret. L. 4. cap. 37., Socrates L. 4. cap. 33., ad Valentis imperium referunt.

Ad 3^{um}. R. D. Chorepiscopi, qui erant vere consecrati Episcopi C. qui non erant N.

138. *Obj. II.* S. Leo M. Rustico Narbonensi interroganti, quid agendum esset de presbytero, vel diacono, qui se Episcopos mentiti sunt, et de his, quos ipsi clericos ordinarunt? respondet epist. 92. (al. 167.) quod, si ordinationi peracta fuerit cum judicio et consensu praesidentium, haberi possit ut rata; ergo juxta S. LEONEM subsistit ordinationis presbyteri facta a non Episcopo,

R. D. Cons. A non Episcopo vero N. legitimo C. Nam ambo illi, de quibus interrogat Rusticus, consecrationem episcopalem acceperant, et ideo erant veri Episcopi; sed quia contra canones absque Metropolitanis consensu, aliisque comprovincialibus Episcopis fuerant ordinati, ideo mendaces vocat Rusticus, sive non legitimos, quia juxta Ecclesiae regulas non numerabantur inter Episcopos. Colligitur hoc ex verbis S. LEONIS: ait enim in epist. cit. *Nulla ratio sinit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitanis judicio consecrati.*

139. *Obj. III.* Concilium Hispalense II. anno 619. cap. 5. (Labb. t. 5.

p. 1663.) pronunciat abjiciendos esse e gradibus suis clericos duos, presbyterum et diaconum, qui Episcopo manum quidem imponente, sed presbytero formam dicente, eo quod Episcopus ob oculorum dolorem eam legere non posset, ordinati fuerant; sed qui ab ordinibus deponuntur, illos habuerint, necesse est; ergo potest presbyter conferre presbyteratum et diaconatum ex delegatione.

R. D. *Maj.* Pronunciat abjiciendos, hoc est vere deponendos, quasi jam vere ordinem accepissent *N.* hoc est, declarandam esse irritam eorum ordinationem, et proin non permittendos, ut in iis ministrent *C.* Ratio est, quia alioquin sequeretur, posse ab uno applicari materiam, ab alio formam, quod nemo dixerit extra sacramentum Pœnitentiæ.

140. *Obj. IV.* Concilium Florent. ait sacramenti ordinis Episcopum esse ministrum ordinarium; ergo supponit sacerdotem posse esse extraordinarium. *Conf. 1.* Sicut ex eo, quod Episcopum dicat ministrum ordinarium confirmationis, infertur, sacerdotem esse extraordinarium; ita quoque hic. *Conf. 2.* Tridentin. Sess. 23. can. 7. eodem modo dicit confirmandi et ordinandi facultatem propriam esse Episcoporum, nec presbyteris communem; et tamen hoc non obstante sacerdos potest esse minister confirmationis; ergo etiam ordinis.

R. *N. Cons.* Vocat Episcopum ministrum ordinarium, quia sacerdos ex delegatione potest saltem conferre ordines non hierarchicos, aut minores.

Ad Conf. 1^{am}. R. *N. suppos.* Quod ideo præcise inferatur sacerdotem esse ministrum extraordinarium confirmationis, quia Episcopum vocat ordinarium; nam posita sola voce *ordinarius*, adhuc poterat affirmari et negari sacerdotem esse ministrum extraordinarium; sed quia addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse confirmationis sacramentum.* Nil tale addit de ordine; unde cum pro presbyteratu nullum exemplum etiam aliunde afferri possit; Episcopus est solus illius minister, cum exclusione alterius ministri extraordinarii.

Ad Conf. 2^{am}. R. 1^o. *N. Ant.* Concilium quidem hic de utraque potestate ait, esse propriam Episcopis; non tamen ideo dicit, aut vult esse propriam eodem modo, sed oppositum potius ex Tridentino colligitur, ubi de qualibet potestate seorsim ex professo agit; nam Sess. 7. can. 3. definit de confirmatione tractans: *Si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ministrum ordinarium non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem; anathema sit.* E contra agens de ordine Sess. 23. cap. 4. ait: Sacrosancta Synodus declarat, *Episcopos... Ministros Ecclesiæ ordinare.* In primo autem loco absolute definit, sacerdotem non esse ministrum ordinarium confirmationis; in alio loco disserens de ordine, solis Episcopis facultatem ordinandi simpliciter attribuit, nec verbo mentionem faciens ministri ordinarii.

R. 2^o. *N. Cons.* Licet enim hic locus Tridentini non obstaret; obstant tamen alia pro ordine, et quidem presbyteratus præcipue; nunquam enim Ecclesia agnovit sibi datam esse potestatem delegandi facultatem presbytero hunc ordinem conferendi, sicut confirmationem.

141. *Obj. V.* Plures canonici juris Consulti supra citati; item etiam Theologi docent, presbyteratus ordinem a simplici presbytero conferri posse; ergo.

Ad 1^{um}. R. *D.* Plures canonici juris Consulti docent, eo inducti ex falsis principiis *C.* secus *N.* Imprimis interpretes juris canonici non sunt audiendi præ Theologis in præsentī causa, quæ ad doctrinam pertinet. Deinde ita senserunt nixi falsis principiis: *Primum* est, quod presbyteri et Episcopi sint quid unum et idem jure divino: sic Guillelmus Raymundi Glossator, Glossa, et Panormitanus. *Secundum*: quod quivis clericus possit eum, quem habet, ordinem conferre, ut subdiaconus subdiaconatum, diaconus diaconatum, presbyter presbyteratum; idque putabant Glossa, Sylvester, Angelus de Clavasio, Hugo, Bernardus, antiquissimus Decretalium Commentator in Summa, Astensis L. 6. Tit. 3. a. 1. *Tertium*: quod facultas dandi, quod habeas, extendatur etiam ad laicos ipsamque confirmationem, ita ut confirmatus possit confirmare, laicus laicum, ut Gloss. ad cap. *Pervenit*, Dist. 95. *Quartum*: quod presbyteri tantam habeant potestatem circa ordines, ut etiam urgente necessitate possint ordinare Episcopos, ut Guillelmus, Panormit. Atqui hæc falsa sunt, et a nemine jam admittuntur; ergo nec interpretum illorum auctoritas hic pondus habere potest.

Ad 2^{um}. R. *D.* Theologi perpauci et iisdem nixi fere principiis, quibus citati juris canonici interpretes *C.* secus *N.* Sic in specie Aureolus credebatur episcopatum et sacerdotium non esse distinctas potestates; quod quidam alii judicabant probabile, ut Nicolaus de Orbellis.

142. *Obj. VI.* Omnis forma, quæ est in actu, potest se communicare in eadem specie: sic ignis producit ignem; ergo etiam habens presbyteratum potest hunc communicare alteri.

R. 1^o. Ergo anima rationalis potest producere alteram; confirmatus laicus confirmare alium; quæ sunt notorie falsa. Hinc

R. 2^o. *D. Ant.* Forma corporea *T.* nam et in physicis universaliter falsum est, sic forma lapidis non producit similem. Spiritualis, supernaturalis; item in moralibus, quæ pendunt unice a voluntate instituentis, ut sacramenta *N.* In his tota ratio est voluntas instituentis.

143. *Dico III.* Sacerdos simplex etiam probabilius non est minister extraordinarius diaconatus. Est communis tum veterum, tum recentiorum, contra recentiores alios, nixos præcipue privilegio concessio Abbatibus Cisterciensibus, ex quo tamen, ut infra ostendetur, infirmum petitur argumentum.

Prob. Illis ipsis rationibus, quibus prior conclusio; æque enim ad nostræ usque theologiæ incunabula inauditum est, in Ecclesia fuisse presbytero simplici delegatam potestatem hunc ordinem conferendi; traditio autem et perpetua praxis, vel observantia Ecclesiæ sunt optima interpretes voluntatis Christi, a qua sola tota pendet doctrina de sacramentis.

Conf. illa traditio et observantia. 1^o. Primos diaconos, Act. 6. ordinarunt Apostoli. 2^o. Gelasius Papa pronunciat aliquos quidem ordines posse ex Episcoporum licentia conferri a presbyteris, sed intra subdiaconatum hæret, nec altius assurgit; quid ita? nisi ut tacite innuat altiores ordines